

DE TRANSLAT. PLANE:

Planeta in radice à domo	Secunda	Translatus in reuolutione ad domum.	Quinta	Significat quod	Credet partem substantiae dilectis personis, uel quod dabit de substantia sua filijs suis
	Secunda		Nonam		Propter lucrum plurima faciet itinera, uel accipiet substantiam à longinquis.
	Quinta		Tertia		Filij facient itinera breuia.
	Sexta		Tertia		Subiecti & serui peragent plurima itinera.
	Nona		Sexta		Propter frequentem loci mutationem futuram incurret egritudinem.
	Nona		Duode.		Peraget itinera propter inimicos suos, uel ex itinere carceris uel inimicos acquirit.
	Decima		Septi.		Apud magnates habebit negotia & contentiones.
	Decima		Octaua		Timore aut mœrore afficietur in suis operibus, ex parte regum uel principum.
	Decima		Nonam		Regum & nobilium uel magisterij causa itinera faciet.
	Decima		Vndeci.		Principum aut regum amicitiam conseruabit.
	Decima		Duode.		Ex parte regis uel principum insidias & molestias sustinebit.
	Vndeci.		Septi.		Amorem in coniugio seruabit, aut firmam amicitiam cum socijs suis.
Vndeci.	Octaua	Alicuius amici mortem aut amissionem uidebit			
Vndeci.	Nonam	Amicorum & fautorum causa, in itineribus uersabitur.			
Vndeci.	Duode	Pro amicis perturbationem, & eorum gratia labores suscipiet, uel amici fient inimici.			
Duode.	Secun.	inimicorum occultorum rixæ & causæ contra natum stabunt.			

Sic quoque in alijs ratiocinaberis secundum propriam tuam industriam.

CAPVT DECIMUM QVARTVM.

De transitu planetarum per septuaginta duo loca necessaria natiuitatis.



Transitus planetarum per septuaginta duo loca necessaria natiuitatis, fiunt per cursus planetarum in signis & gradibus zodiaci. Nam Sol per motum suum proprium transit in spacio unius anni per omnia talia loca, Luna singulis mensibus, Saturnus in 30. annis fere, Iuppiter in 12. annis &c.

Si fortuna transiuerit per talia loca, disponit dies eorum iuxta sui & loci naturam, per quæ transit, ut Venus si per cursum suum transiuerit per ascendens radicis, tunc corpus bene se habebit, fiet natus alacer & promptus in operationibus suis. Transitus autem mali per hæc eadem loca, disponit dies eorum iuxta sui ac loci, per quem transit naturam. Ut si Mars per ascendens transiuerit, tunc corpus nate male habebit iuxta naturam Martis, ut tunc fiet iracundus &c. Lunæ transitus, per 3. horas ante & post in uigore est. Sed aliorum planetarum transitus per diem 1. ante & post sentiri potest.

Transitus domini ascendens radicis per gradum infortunæ radicis, infortunatum illo die, iuxta positionem infortunæ, in domo reuolutionis, maxime si illa infortuna dominium habuerit in anno. Verbi gratia: Saturnus fuit in 19. gradu Cancrî, in medio cœli, in radice natiuitatis, in qua Libra fuit ascendens, & in reuolutione posuit se Saturnus in duodecimam. Quando igitur Venus domina ascendens radicis per transitum eius peruenit ad 19. gradum Cancrî, fuit natus captus. Vide transitum Lunæ per totum annum reuolutionis, & ad eum locum scilicet transitus compara locum Lunæ radicis, uidendo aspectus, & coniunctiones illorum duorum locorum, scilicet radicis, & dierum reuolutionis. Nam si fuerit aspectus amicitia inter hæc duo loca, uel fuerit coniunctio uel aspectus Lunæ radicis cum fortuna in diebus reuolutionis, significat diem fortunatum, Vel si fuerit coniunctio, uel aspectus Lunæ radicis cum infortuna in diebus reuolutionis, significat diem infortunatum. Hoc autem significatum de bono uel malo erit de natura planetæ, cum